Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.

Wien, 1802 Seite 1861

Quelle:
Copyright:

Anno Domini M°. CCC. XCVII. obit frater Marcoldus Prior ordinis cruciferorum feria ſexta poſt penthecoſten.
— — — CCCC. I. *obit frater Henſſo de Zwereticz prior Die ſancte Agathe virg.*
— — — — V. *obit Procopius Marchio Die ludmille paſſionis eius.*
— — — — XI. *obit Jodocus Marchio Die priſce virginis.*
— — — — XIX. *obit Rex Wenczeſlaus feria quarta poſt aſſumptionem beate virginis. Huius temporis orti ſunt Huſſite in Boemia.*

Ad compingendum Codicem utrinque ſervit Membrana charactere grandi et nitido hebraico non punctato exhibens maximam partem *Capp.* XXV. et XXVI. *Geneſeos.*

DCCLXXIV.

R. 3120 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 218. 4. charactere craſſiuſculo exaratus, rubro diſtinctus et olim *monaſterij ſancte Dorothee virg. in Wienna* eſt *Quadrageſimale,* cujus hoc eſt initium: *Filia populi mei induere cylicio et conſpergere cinere. luctum vnigeniti fac tibi. planctum amarum. Jer. VI. Quamuis ſolempnitas quadrageſimalis in ſequenti dominica inchoetur. eccleſia tamen hos quatuor dies precedentes addidit. ut quadragenarius numerus impleatur. A prima enim dominica uſque ad paſcha XLII. dies computantur. de quibus VI. dies dominicales ſubtrahuntur. ſolummodo XXXVI. dies ieiunantur* &c. Diebus ſingulis adſignati ſunt Sermones bini. Quadrageſimalibus ſuccedunt Paſchales quidam et Dominicales uſque ad Dominicam infra Octav. Aſcenſionis, tum unus in Aduentu, IV. ad Religioſos, et poſtremus de S. *Antonio Patavino.* Ad calcem ante Indicem alphabeticum Rerum minio legitur: *Explicit opus quadrageſimale fratris Michaelis finitum per manus Nycolai de Mutha. et completum. Anno domini M°.CCC°. XXXIIII°. In die* —. Reliqua ſolicite deraſa; per ea vero, quae ſcripta retuli, linea nigra ducta eſt. Neſcio, dicebam mihi, an iſthaec non aliquid portendant. Si chronologiae rationem habeas, e notis Sermocinatoribus, qui *Michaelis* nomine gaviſi ſunt, nemo in quaeſtionem venire poteſt praeter F. *Michaelem de Maſſa* O. Erem. S. *Aug. Pariſiis* defunctum a. 1336. et F. *Michaelem de Caeſena* O. S. *Franc.* Miniſtrum Gen. quem a. 1343. *Monachii* mors abſtulit. Utrique tribuuntur *Sermones* a Literatoribus. Cur vero in poſteriorem quis inclinet, illud eſt: nota ſunt in eum *Ludovico Bav.* Imp. adhaerentem *Johannis* XXII. fulmina. Quid ſi Rubrica partim deraſa, partim linea nigra perfoſſa ſignum ſit reprobationis illius, tanquam